

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quid sit commotio, & quòd Stoici, qui omnes affectiones appellârunt  
morbos, & idò eas extirpandas censuerunt, vehementer errauerint: & qua  
ratione bonæ à malis distinguuntur. Cap. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

hunc temporibus maximè conueniunt: quandoquidē magna orbis terræ pars, satana & tyrannide oppressa, immannissimo Turcarum tyranno, eius ministro, subiecta est ita, ut ciuitatum, prouinciarum, rerum publicarum, atq; illustrium regnorum, quæ in eius manus venerunt, commemoratione, populus diuina iustitiae et terrorem orator possit incutere. Verum calamitatem humanā cupiens ante oculos ponere, ut deterret a vitijs, lamentationes Hieremie prophetæ diligenter legat, quas S. etiam Gregorius Nazianzenus, ut ipse in quadam oratione scripsit, in rerum prosperitate legere consueverat: ut ea ratione seipsum temperaret. Iam verò quoniam nullus est præstātior magister, à quo mentes in Deum trahi possint, quām sanctus Spiritus; ideo precibus, et sanctis sacrificijs inuocādus est, atq; inuitandus, ut ipse pro Christiano oratore loquatur, ipse suggesterat, ipse doceat. Quamobrem hortamur clericos, ut neq; hanc commotionis partem, neq; ullam aliarum adhibeant; immò ne ad dicendum quidem audeant assurgere, nisi inuocato Spiritu sancto, & nisi cor de puro & contrito, illud semper in animo habentes; Spiritus sanctus effugit fictum, & non habitat in anima subditā peccatis.

Quid sit commotio, & quod Stoici, qui omnes affectiones appellārunt morbos, & idē eas extirpandas censuerunt, vehementer errauerint: & qua ratione bonæ à malis distinguntur. Cap. III.

**C**V M commotio sit quædam mentis incitatio, sine qua ingrata & exanguis fit oratio; dabit operam Eccle-

Ecclesiasticus orator, vt, quemadmodum sanguis per totum corpus diffunditur, ita in omnibus orationis partibus quedam insint, quae ad commouendum valeant; nunquam probabit Stoicos philosophos, qui humanitatem extirpan-tes, omnes affectiones morbos appellabant. Sed potius sciat utiliter a benignissimo patre Deo hominibus datas, ad eius nominis gloriam, ad animarum salutem, & ad populi etiam Christiani utilitatem; illudque verissimum esse, medias esse affectiones inter virtutes & vitia: sed distingui etiam posse hac ratione, nimis um si sursum ferantur, si in celum dirigantur, oriri virtutes: si in terra depresso iaceant, nasci vitia; verbi causa, si concupiscibili illa vis, quae est in hominis anima, in celum dirigatur, laudabiles & vere Christianae oriuntur affectiones, amor Dei & proximi, gaudium, tedium huius seculi, timor periculorum, quae imminent in hac vita, atque etiam iustus dolor, quod nobis ipsi iter impediamus ad caelestem illum patriam, & spes ac sancta quedam confidentia, quam, resignationem in Deum, nobis licet appellare; sin autem vis illa deorsum tendit, omnia peccata inde nascuntur: inde cupiditas inanis glorie, inde auaritia, inde turpis voluptas nascitur. Eadem ratione si irascendi vis illa, diuinatus hominibus tradita, sursum feratur, excitatur & alitur praestantissima affectio, quae dicitur zelus; & cum ad inferiores corrigendos adhibetur, est nutrix disciplina & correctionis magistra; ex qua, veluti ex fonte oriuntur Christianae virtutes, fortitudo, martyrium, constantia, magnanimitas, Christiana aequitas, & quedam aliae, quas philosophi ignorauerunt.

Quod